

x 2024244

Yd
2454

MOSKOVIAE
DECUS EXIMIUM,

Quod est

PURA RELIGIO,

Quam Deus Optimus Maximus

olim, Sublatis Superstitionibus Gentilibus,

PRISCIS LUSATIIS

benignissimè concessit,

Quamq; aliquot seculis post hujus aliarumq; Christiani Orbis

Regionum ac Oppidorum incolæ, explosis hominum, quæ irrepserant,

Traditionibus, Verbo DEI contrariis,

à Divo Luthero repurgatam hilariter susceperunt,

Susceptam Posterì hucusq; fideliter retinuerunt;

Ejusq; Exercendæ

OFFICINA EGREGIA,

TEMPLUM (ut dicitur) NOVUM,

sub initium hujus XVII. Seculi exstructum, & Cultui

verè-Divino dicatum, Carmine Hexametro

exceptum,

&

Factâ insuper mentione reliquorum trium Templorum, nec non

Pastorum & Diaconorum, qui Ecclesia Moskoviensis à susceptâ Luthe-

rana Religione præfuerunt, τὸ μνημόσυνο ἐνεκα

Piæ Posteritati traditum.

à

JOHANNES CASPARE CRUSIO,

Laubâ-Lusat. Ejusdem Templi, Scholæq; Moskov. h. t. Cantore.

GUBENÆ, Typis CHRISTOPHORI GRUBERI.



MOSKOVIA
DECUS EXIMIA
POTENTISSIMO
MAGNI. PARENTIS.

PRÆ-ILLUSTRIS. AC. GENEROSISSIMI. DOMINI.

DN. CURT - REINECCII.
LIB. BAR. à CALLENBERG.

DYNASTIÆ. MOSKOVIENSIS. UT. ET. WETTESINGII.
ET. WESTHEMII. DOMINI, HÆREDITARII,

SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI.

ELECTORIS. SAXONIÆ.

SUPREMI. MARESCHALLI. AULICI. CONSILIARII.
INTIMI. SUPERIORIS. LUSATIÆ. PRO-MARCHIONIS. PLENI-
POTENTIARII. CAMERARII. ET. PRÆFECTI. MILITUM.
SUPREMI. DOMINI. SUI. CLEMEN-
TISSIMI.



Ycl 2454 QK

MAGNO. ET. UNICO. FILIO.
PER-ILLUSTRI. AC. GENEROSISSIMO. DOMINO.
DN. CURT-REINECCIO.
LIB. BAR. à CALLENBERG.

DYNASTIÆ MOSKOVIENSIS. UT. ET. WETTESINGII.
ET. WESTHEMII. DOMINO. HÆREDITARIO.
POST. INTEGRUM. LUSTRI. SPATIUM.

AD.

BENIGNA. DEI. ΤΟΥ. ΣΥΝΟΔΟΠΟΡΟΥ. AUSPICIA.
SOLICITA. GENEROSISS. PARENTUM. DESIDERIA.
CONTINUA. UNIVERSOR. SUBDITORUM. SUSPIRIA.

HAUT. SINE.

MAGNO. OMNIUM. GAUDIO.

FORTUNATE. REDUCI.

EMINENTISSIMO. SUI. STEMMATIS. SPLENDORI.
OB. ILLUSTREM. NOBILITATEM.

EXOPTATISSIMO. TERRÆ. PATRIÆ. DECORI.
OB. INNATAM. DEXTERITATEM.

DEVOTISSIMO. PURÆ. RELIGIONIS. CULTORI.
OB. SINCERAM. PIETATEM.

FELICISSIMO. VIRTUTUM. HEROICARUM. SECTATORI.
OB. MENTIS. GENEROSITATEM.

DESIDERATISSIMO. MUSARVM. FAVTORI.
OB. INSIGNEM. HUMANITATEM.

DOMINO. SUO. GRATIOSO.

EXIMIUM. HOC. DECUS,
NIMIRUM.
PURÆ. RELIGIONIS. EXERCITIUM.

QVO. MOSKOVIA. CUM. ALIIS. MELTIS. OPPIDIS. GAUDET.
TEMPLUMQUE. EGREGIUM.

QVO. PRÆ. ALIIS. MULTIS. CLARET.
OLIM. A. PER-ILLUSTRIBUS. BURGGRAVIIS DE. DOHNAU,
EJUS. GENEROSISS. CLEMENTIÆ.
PRO-AVO. ET. AVO.
MATERNIS.

DN. DN. WILHELMO. PRUDENTER. COEPTUM.
DN. DN. CAROLO. CHRISTOPHORO. FELICITER. PERFECTUM,
NEC. NON.

A. GENEROSISSIMO. PARENTE.

DN. DN. CURT-REINECCIO. LIB. BAR. A. CALLNBERG,
ELEGANTER. CONDECORATUM.
HEXAMETRO. PLANE. INCULTO.
EXPRESSUM.

HUMILIMA. ANIMI. SUBMISSIONE.

ET. SUBMISSA. HAC. DEDICATIONE.

REX. ARTAXERXES. CLEMENS. LEVIDENSE. SINÆTÆ.
DE. MANIBUS. SUMSIT. MUNUS. ID. UNDA. FUIT.
MENS. GENEROSA. MANU. SIC. MUNERA. SÆPE. BENIGNA.
SUSCIPIT. EXIGUI. SINT. LICET. HÆC. PRETII.
EXIMIUM. DECUS. HOCCE. QUIDEM. DESCRIBERE. METRO.
CONOR. AT. EXIGUUM. MUNUS. ID. ESSE. PUTO.
NEC. MUNUS. DICI. FAS. EST. TAMEN. OFFERO. SUPPLEX.
ACCIPE. CLEMENTI. MENS. GENEROSA. MANU.
ADDITO. HOC VOTO.

AD. NOS. QVI. SOSPE. BARO. GENEROSE. REDIBAS,
O. FLORE. SOSPE. SPES. PATRIÆQVE, DECUS.
DAT. DICAT.

EJUS. GENEROSISS. CLEMENTIÆ.
DEVOTISSIMUS.

JOHANNES. CASPAR. CRUSIUS.

VIRI

Admodum Reverendis, Clarissimis, Humanissimis, Doctissimis;
Verbi Divini Ministris

Meritissimis, Fidelissimis;

I.

Ecclesia Moskoviensis,

DN. M. JACOBO STÖCKERO, Pastori, & hujus
Diœceseos, Scholæq; Inspectori.

DN. CASPARO CRÜGERO, Diacono.

Fautoribus & Compatribus suis honoratissimis.

II.

Ecclesiarum, ad Diœcesin spectantium,

DN. CHRISTOPHORO CRÜGERO, Pastori Zibellensis.

DN. JOHANNI BOLZIO, Pastori Schleiffensis.

DN. MATTHIÆ RICHTERO, Pastori Gablenzensis.

DN. JOHANNI LIPSCHIO, Pastori Reichsvaldensis.

DN. MATTHIÆ CRÜGERO, Diacono Zibellensis.

Fautoribus & Amicis suis dilectissimis.

III.

DN. CAROLO ZEIDLERO, Pastori Ecclesia Rengers-
dorfianæ, Fautori suo colendisimo.

S. P. D.



Uantoperè, Viri Adm. Rever. Clariss. Hu-
maniss. Doctissimi, olim Gentiles in extruendis & adornan-
dis Delubris luxuriarint, ex Historiis eorum sat liquet.
Nota est magnificentia Templi, quod Dianæ Ephesiæ sacrum, (a) Nat.
& totius Asiæ studio intra 210. annos ædificatum erat, in quo Comes. My-
127. columnæ admirandæ pulchritudinis à totidem Regibus thol. lib. 3.
erectæ extiterant. (a) Nec conspicuum non fuit splendore
mirabili Templum Delphicum, Apollini Fatidico proprium, cuj solus Cræsus, 6. 18. p. m.
mille 267.

(b) *Idem* mille aureos lateres dono misit, ut ex iis aurea strueretur Ara. (b) Plura haud
 N.C. l. 4. c. defunt Exempla, at desit spatium. Tantus gentilium templorum erat splendor
 10. p. 354. in densissimis tenebris; Ah sanè in tenebris! Veri enim Luminis ac vivi Numinis
 vid. Justin. ignari & opacâ errorum caligine circumfusi, non animas solùm Heroum demor-
 Histor. lib. tuorum, sed & ipsos tenebrarum stygiarum incolas, Dæmōnes, religiosè colebant,
 24. & post illos alia brutorum & mutorum Deastrorū duodecim millia. O vanum Fa-
 norum ornatum! O pravum idolorum cultum! quem hujus etiam & vicinarū Re-
 gionum indigenæ quondam enixe persequebantur, obnixè tuebantur, usq; ad tem-
 pora V Vitekindi, Magni illius Saxonum Ducis, qui primus Christianam Religio-
 nem & Baptisma suscepit, sub Carolo M. Rom. Imp. Cui deinceps in debellandis &
 convertendis aliis, præsertim Venedis (qui tunc temporis in Lusatia, Misnia, Thu-
 ringia &c. dispersi degebant,) fideliter ipse adstitit. Idem V Vitekindi illustres
 Posteriores eadem fidelitate præstiterunt, inprimis sub Heinrico Aucupe, qui Vene-
 dos Marte secundo eò obedientiæ redegit, ut abjecto prorsus idolorum cultu
 Christianam Fidem profiteri annuerint. Quapropter Heinricus Imp. Tempora
 gentilia aut ampliari & puro Veri Dei cultui sacrari, aut funditus destrui, aliaq;
 hinc inde extrui iussit, constituitq; orthodoxos ubiq; Verbi Ministros, ut eò felici-
 us & velocius propagaretur Christianismus. Eo sine postea & alii Principes atq;
 Dynastæ in Territoriis suis ejusmodi sacra Ædificia erigi curarunt. Hinc successu
 remporis non urbes solum, sed & pagi potiores sua habuerunt Tempora, in quibus
 incolæ Deum Verum reverenter coluerunt.

(c) cap. 41. Quod si ergò illi, qui oppida condunt, juxta effatum (c) Siracidis æternam
 v. 19. sibi comparant Nominis celebritatem, ecquis inficiabitur, eandem & illos prome-
 reri, qui sacra ædificant Tempora, utpote, quæ, si pura in iis fovetur Religio, sunt
 ipsius Dei habitacula, oraculorum divinorum Auditoria, piorum oratoria &c.
 ideoq; præcipua urbium ædificia & ornamenta. Illi sanè gratum Deo præstant
 officium, Pietatisq; exhibent indicium haud moriturum. Inter quos meritò
 recensendi sunt Per-illustres & Generosissimi Domini, Dn. V VILHELMUS Pa-
 rens, & Dn. CAROLUS CHRISTOPHORUS Filius, Burggravii à Dohnau, &
 Dynastiæ Moskovienfis quondam Domini Hæreditarii, οι υἱὸν ἐν ἀγαθῶσι, quorum
 ille, postquam hanc Dynastiæ ingressus est, de Novo ac ampliori Templo extru-
 endo eousq; dum fundamentum ejus poneretur, sollicitus fuit; Hic verò post

(d) Quod obitum Generos. Parentis cæptum Ædificium qs. relictum pensum feliciter absol-
 concioni vit, nullis deterritus sumptibus, illud egregiè ornavit, Deoq; Supremo consecra-
 M. Mich. vit; & ita UTERq; Memoriam Sui summâ cum laude piæ Posteritati commenda-
 Zeidl. Pa- vit. Id quod olim Andreas Schenckius Moskovienfis, & brevi post Cantor, in
 storis in De- Carmine (d) quodam ad Generos. Burggravium à Dohnau, Dn. Dn. CAROLUM
 dicatione CHRISTOPHORUM, his versibus honorificè prædicavit:

istius Templi
 habitæ, an-
 nexum est.

*Quando Scholas & Tempora DEI sumptis extruis amplo,
 Concilias Fama Nomina magna tue.
 Laude vehet Moskovia Te, GENEROSE, per ævum,
 Et gratis solvent structa Sacella Tibi.
 Posteritas Te laude vehet, SCHOLA MULTA LOQUETUR &c.*

Propterea ut & ego hac in parte, quod meum est, aliqua ex parte, præstarem, delineavi, non penicillo quidem, sed calamo Eximium DECUS MOSKOVIAE, TEMPLUM sc. nostrum, quod dicitur NOVUM, cum ornamentis ejus, quæ Ara, Suggestus & reliquæ partes ostendunt, visu dictuq; dignissimis, (quibus augendis Per-illustris ac Generosissimus Dn. Dn. CURT. REINECCIUS, L. B. à Callenberg Dominus noster clementissimus, & Generosissima illius CONJUX, Dna. Dna. URSULA CATHARINA, Domina nostra Clementissima, & operam & sumptus impenderunt largissimè,) non postposito ornatu pretiosissimo, qui est PURA RELIGIO, quæ sincerè in isto exercetur. Annotavi Pastores & Diaconos, qui ab instaurata illâ, Romanaq; everfâ cum in hoc, tum in cæteris tribus Templis Verbum Dei docuerunt ad Vos usq; Plurimum Reverende, Clarissime, & Literatissime Dn. M. Stöckere, Pastor & Inspector meritissime, nec non Multum-Reverende, Humanissime, Doctissime, Dn. Crügere, Diacone dignissime, Fautores & Compatres honoratissimi, qui dicto Moskovienfium Decori, jam jam estis decori, & pro Salute hujus Ecclesiæ eâ, quâ par est, fidelitate vigilatis. Nec intermittere potui, quin & vestra insererem Nomina, Viri perquam-Reverendi, Humanissimi, Doctissimi, Fautores & Amici summoperè colendi, utpote qui huic Diœcesi estis inferti & Honori divino laborem vestram in eo Templo (quod ex Constitutione Ecclesiastica fieri solet) sacrum offertis, habitâ quotannis concione de Salvatoris Passione, tempore Quadragesimali, cujus in fine mentionem injeci.

Eâq; de causâ DECUS HOC MOSKOVIANSE Vestro Honori & Decori, Viri. Fautores, omnes & singuli ætatè devenerandi, simul sacrum esse volui, certâ spe fretus, Vos æquè bonâ mente, quâ Vobis consecro, illud fore accepturos, & benevolis oculorum radiis perlustraturos. Idem quoq; de Te, admodum-Reverende, Clarissime, & Doctissime Dn. M. Zeidlere, Fautor colendissime, confidenter mihi polliceor: Nam & tibi hoc Patriæ tuæ Decus eadem ingenii ingenuitate offero, oblatum non ingraturum Tibi fore spero, cum in eo dilectissimos tuos Majores, scil. Avum Dn. Michaelem, & Parentem Dn. M. Michaelem, Zeidleros, reverendæ & beatæ memoriæ Viros, inter reliquos Ecclesiæ Moskovienfis Pastores collocatos, piis Posteris commemorârîm; nec immeritò me id fecisse arbitror, quia ultra 50. annos in hac Domini Vineâ, successivè ramen, laborarunt, Templumq; istud Novum à Dn. Parente tuo, primo ejus Pastore solenni concione habitâ (quæ typis impressa extat) Deo dicatum est, hoc anno:

Ista Ædes nova sVpremo (e) sacratVr Iovæ.

(e) d. 19.

Ut itaq; Erudita vestra Humanitas, Viri optimi, in Vestri amorem me convertit, ita & ea hoc, quicquid est, in suum recipiat Favorem, precor. Carmen est, *Maj. d Jov. post. Pentec.* Heroicum quidem Genus repræsentans, sed tenui stylo scriptum, & à phrasibus obscuris, ut puto, alieno, ne cui inter legendum opponatur remora, aut moveatur nausea. Prius non audebam id publici juris facere, his repressus obstaculis, quia timebam, ne sciolus aliquis in eo haberet, unde suam taxandi exerceret lubentiam. Nec ignorabam, quod carmina à multis ne hili quidem habeantur, & hinc eveniat, ut ea sapius ad loca abscondita, quæ honoris ergò taceo, aut ad anum aliquam edentulam in triviis sedentem ablegentur, quæ dein chartis Aöniis apinas suas, *merces*


merces vix obulo comparandas involvit, involutas vendit; quapropter ea præca-
vere, quàm experiri, measq; operas mihi reservare, quàm ludibrio aliis exponere,
satius esse ducebam; sed quorundam non infimæ cavæ Virorum monita prævalu-
erunt. Periculum ergò feci, & carmen hoc typis exprimendum tradidi, nihil
curans, si quid contrà blaterabunt malevoli. Accipite illud benevolis manibus, Viri
Rev. Claris. Humanis. Doctis. Compatres, Fautores & Amici honoratissimi,
accipite inquam, & me vestro Amoris scrinio inclusum consensescere permittite.
Votorum meorum Alpha est, ut in emolumentum Ecclesiæ diu & benè valeatis.
Moskoviz Cal. Octobr. 1668.

Vestr. Rever. Clar. Hum.

Deditissimus

JOHANNES. CASPAR. CRUSIUS.

h. t. Cantor.



Ad Zoilum.

FOrsan inesse meo decoris nil, Zoile, dices,
Huic DECORI, fateor; sed mea verba cape:
Carmen displiceat, placeat modò nobile Templum,
Non ejus refero sed Decus hujus eò.
Quæritur in verbis mihi nulla, sed omnis habetur
Laus Ei, qui Templum condidit, atq; DEO.





Cuiq; suum caput est, capiti sua sensa cuique.
Id diversa probant hominum conamina & ausus,
Et varii ingenii lusus, variiq; labores.

Sunt, quibus elogiis libuit decorare politis,
Quæ detestanda, & quæ laude indigna videntur.

Istic (a) Stultitiam, (b) Quartanam gnaviter illic
Laudat, hic (c) Invidiam, (d) Podagram canit altera cerbâ,

Is pulchrè (e) Muscam commendat, & ille (f) Pediculum;
Aut quæ plura stylo sunt seria scripta jocosò.

Sunt multi, calamis qui tractant ardua doctis,
Atq; student, aliis servire laboribus istis.

Sunt, (quia non cuivis contingit adire Corinthum;
Scilicet extremos non quilibet exit ad Indos,

Galliam & Italiam, vel cætera Regna vel Urbes,
Non omnes peragrarè queunt, vel cernere nolunt,)

Sunt ergò, qui describunt mirabile Mundi
Corpus; hic hanc partem videt & describit & illam,

Hoc alter Regnum, cui contigit illud adirè;
Præcipuas Urbes alii, illarumq; frequentes

Cives, divitias, mores & mænia, turrets,
Et quæ sunt Urbis reliqua ornamenta celebris;

Sicq; aliis ignota suis dant cognita scriptis.
Talia multorum calamus notat, excipit, edit.

Nil ego narrabo præsentì carmine eorum,
Nil de stultitia referam, Podagravè, Febrivè;

Jam Muscæ valeant, mordaxq; Pediculus absit.
Cui libet, Europam, vel cætera climata mundi

Describat, Romæq; alius, vel publica alius
Urbis, laude vehi dignæ, præconia scribat.

A

Ille

(a) Erasmi
Roter.

(b) Favori-
nus.

(c) Casp.
Dornavius.

(d) Birck-
haimerus.

(e) Lucia-
nus.

(f) Heim-
sius.

Ille ego, chara meæ, MUSCOVIA, patria prolis,
Hoc aliquod vili DECUS, haud ignobile, versu,
Quo clares, cantabo. Boni fac, Candide Lector.

Num quid inesse potest fandi tibi, MOSKA, decoris?
Ut potè quæ parva es, nullis circumdata vallis,
Nec tectis, Arcem præter, constructa superbis.
Innumeris quondam bellorum pressa periclis,
Imprimis, quoniam duplex via publica transit,
Sæpius incursum passa, hostilesq; tumultus,
Omnibus exspoliata Bonis, & diruta flammis.

Quid superesse potest ergò tibi, MOSKA, decoris?

Audivi, esse aliquod Vulgi proverbium in ore:

ARX, TEMPLUMq; NOVUM, nec non CEREVISIA SVAVIS,
Hæc tria MOSKOVIAE quod sint haud ultima nostræ
Ornamenta, ferunt. Ast ista locutio Vulgi

Vulgò de rebus fertur, quas diximus, ipsis;

Arx quia munificis exstructa est sumptibus isthæc,

Quæ celeberrimis multas conclavibus, arte paratis,

Arte peregrinâ, quâ Tellus Itala gaudet,

Cujus imaginibus splendent laquearia pictis,

Pendentiq; fabrè formatis undiq; gypso,

Fossis cincta cavis, ornataq; turribus altis,

(g) Die
Grotte. Quarum monstratur structura (g) hydrotechnica in una,
Quæ est opus excellens, pulchrum, spectabile, rarum,

Imprimis quoniam summo sub vertice turris

Pendet, & ex imo vi forti fertur in altum.

Unda, per occultos vicino è monte canales,

Quæ post artificii ductu fluit inde per ora

Sirenum, infantum, miroq; per organa flexu

Reliqua, quæis adstans largo conspergitur imbre,

Pro directoris lubitu, latitantis in antro.

Et quæ plura capit ARX hæc dignissima visu,

Estque

Estq; suus decor exterior laudabilis (infrà
Dicendus) Templo, quod Plebs germana frequentat.

Nec spernenda quidem *Cerevisia* nostra, sapore
Grata, colore subalbida, nutrimenta bibenti
Optima dans, svavis peregrinis indigenisq;
Si non diluitur vel aquâ, vel simplice lorâ.
Hæc tria *MOSKOVIAE* dicunt encomia nostræ.

Sed nos ulteriùs meditemur, (si licet istud,)
Proverbi melior quæ sit sententia dicti.
Nunquid erit falsum, Lector, si dixerò, ternis
Significariet hisce Status tres orbis & urbis,
Queis sine non constare potest *Respublica* quævis,
Et quibus, assistente *DEO*, *MOSKOVIA* floret.

ARX notat Imperium, quo cives ritè reguntur
Et Baronatus hujus quicunq; coloni,
Quod gerit *Illustris* summâ gravitate *Dynastes*
Baro de Callenberg Generosus, summa potestas
Cui commissa gubernandæ Regionis avitæ,
Lusatia superæ, Cui jam quoq; cura regendæ
Aulæ Saxonica incumbit nocturna diurna,
Et quæ Munia *Saxo* dedit *Celsissimus* Ipsi
Plura, quibus cum laude præest, & præfuit olim.

Heros ille Magistratus hic Sceptra locorum
SVSCIplens qVONDaM JVsV nVtVqVe JehoVæ
Impendensq; graves curas, sumptusq; benignos,
Non Arcem solùm, (cujus modò rudera primùm
Inveniebat,) uti nunc est cernenda, refecit;
Sed re, *MOSKA*, etiam flammis belloq; redactam
In nihilum prorsus, reparavit & undiq; factas
Sarsit scissuras, domibusq; & civibus auxit,
Teq; gubernavit feliciter hætenus, almo

Annus Nu.
ptiarū Cal.
lenbergico-
Dohnavien-
sium.

(h) Errant, qui VVen-
das (dte
Wenden)
latine Van-
dalos vo-
cant : Hi e-
nim fue-
runt populi
origine &
lingvâ Ger-
mani ; illi
rectius lat.
dicuntur
Heneti, Ve-
neti, Vendi,
Vindi &
VVendæ, u-
ti fufius dis-
ferit Albin.
in Chron.
Mifn. Tit.
4. pag. 113.
& feqq.

Adjutore DEO, & duros moderamine (h) Wendas

Prudenti rexit. DEUS alme, diutiùs Ipsi

Clementer poſthac adſis, regimenq; ſecundes,

Quò ſub Eo liceat pacatam vivere vitam.

Utq; Magiſtratum nobis DEUS uſq; verendum

Præpoſuit, ſic & meritò Grex ſubditus illi

Obſequitur, legesq; bonas, quas ſanxit, honore

Subjecto ſequitur, ſolvenda tributa reponit,

Quicquid ſervitii debet, præſtare laborat,

Illius imprimis fauſtâ pro ſorte, ſalute

Corporis ac mentis fundit pia pectore vota,

Juſtitiam, Pacemq; colit, Pietateq; gaudet,

Cuiq; ſuum tribuit, nullum defraudat iniquè,

Atq; operâ manuum victum ſibi quærit honeſtum.

Hæc, ô MOSKOVII, præſtate fideliter uſq;, &

Vestra ſuam ſemper referet *Cereviſia* laudem,

Vestrarumq; ſtatus florebit ritè domorum,

Quas divina Bonis Bonitas implebit amœnis.

Nunc quoq;, MOSKA, tui celebranda eſt gloria Templi,

Quod tibi victuræ peperit præconia famæ,

Quodq; tuum Decus eſt, *Decus haud ignobile* dixi,

Non modò ſtructuræ multum-ſpectabilis ergò;

Aſt Evangelii quia pura docentur in iſto

Dogmata, Sacramentaq; distribuuntur ad ipſum

Chriſti mandatum, laudesq; canuntur Jövä.

(i) Ita
Franc. Vier-
ling. in Pro-
log. Germ.
cap. 37. Eſa.
loquitur.

Non majora (i) DEUS certe benefacta benignus

Urbi ferre poteſt, ſacra quàm concedere templis,

In quibus Ipſe coli vult voto & laude frequenti,

In quibus Ipſe ſibi jucunda habitâcla locavit,

In quibus attentas præbet clamantibus aures,

In quibus omne nefas culpæ peccantibus aufert,

In quibus omne bonum capimus precibusq; fideque,

In

In quibus in vera quoq; Relligione Nepotes
Institui possunt nostri, Christoq; sacrari.
Talia, Moska, tuæ quoq; Tempa salutis Amator
Jova, tibi sacra concessit, dextraq; potenti
Purum Evangelium tenus hac servavit in illis,
Ut præcedat in hoc tibi non urbs ulla, nec unquam.

Euge ! recordator, grataq; agnoscito mente,
Quanta bonus benefacta Deus tibi præbuit olim,
Olim, cum prisca, Jova Rectore, coloni
Lusatia, Idolis gentilibus inde relictis,
Salvificum (Tibi laus, Deus optime,) dogma professi
Sunt, atq; à Christo Christianum Nomen adepti,
Veraci ut quondam promiserat ore Jehova.

Nam quia Judæi, quondam dilecta DEO Gens,
Ausibus heu fædis crebrò, factisq; nefandis
Offendere DEUM, seq; opposuere paterno
Iplius arbitrio, & tandem caligine cordis
Cæci, cum Verbo Christum reprobare sacrato,
Hém ! reprobavit & hos DEUS, irâ vindice motus,
Atq; sui totum Regni transmisit honorem.

Ad seros Japeti (qui Gens tunc spreta) Nepotes,
Dum patefecit eis divini oracula Verbi,
Hosq; sibi charum voluit nunc esse popellum.
Propterea misit fidos sæpissimè Servos,

Ad convertendum perversæ pectora Gentis.
Ipse suo christus Gentiles Dogmate multos,
In terris versans Regnum ad cœleste vocavit.
Et post Discipuli, Christo super astra reverso,
Illius ad jussum, sociâ Virtute Sacrati
Flaminis, immensum se distraxere per orbem,
Ignarasq; DEI Gentes docuere Supremi
Cælica Verba, dein sacra Baptismatis Unda

Esa. 49. v. 22.
c. 65. v. 1. 20
Hof. 1. v. 10.
& alibi.

Gen. 9. v. 27.

Immersere, & sic hinc inde Ecclesia Christi
Accrevit valide, sacro testante Libello.

Sed quòd in his, quas incolimus, Regionibus atq;
Vicinis Regnis, longo pòst tempore Christus,
Lumen gentiles removens illuxerit umbras,
Historiæ nobis tradunt monumenta profanæ.

(k) Vid.
M. Reiner.
Reinec. von
der Meißner
Herkommen
p. m. 84. 85.
et Albin.
Chron.

Misn. tit. 4.
pag. 112.

(l) Vel Ser-
bi, quod no-
men Vendis
in Lusatia ad
huc super-
est, qui suo
idiomate,
vocantur

Serbii. Alb-
Tit 7. p. 155.

(m) Præci-
pius V Ven-
darum Deus
fuit Svyan-
teviz. Hoc
nomen Em-
serus è lin-
gua Slavo-
nica expo-
nit, sanctum
Lumen. Al-
bin. Tit. II,
pag. 300.

(n) Vocab Svyanteviz non multum dissonat à Svyata V Vez, quod nostris Vendis est sancta
Essentia. (o) Grundmañs Geschicht Schule p. 83. (p) J. G. Schochs Pöhlrenische Krteges-
und Friedens-Schäfferen pag. 42. seq. Plura habet Albin, Chron. Misn. Tit. II. (q) Thesaur.
Chronol. Alsted. p. 327. Besold. Synopf. p. 325. Theodor. Petreus Chronol. Imp. Rom. p. 66.

Nam (liceat referam) quondam incoluere feroces
(k) Lusatiam Wendæ, (l) Sorabi cognomine dicti,
Huc qui à Danubii venerunt primitus oris,
Vicinosq; suos, Mysos, Francos, Tyrigetæ,
Vexarunt bellis, propriaq; è sede fugarunt.

Sancta DEI hos latuit (m) Lux atq; (n) Essentia Veri,
Gentiles coluere DEOS, quin dæmonas ipsos,
(o) Idolumq; triceps, aliisq; parata (p) figuris
(Horrendis partim visu) simulachra Deorum
Falsorum, quibus hi solennia Sacra tulerunt,
Spemq; suæ certam posuere salutis in illis.

O cæcæ mentes ! o cæca libido colendi
Numina ficta ! Deos, quibus est nec vita, nec ulla
Vis, sed sunt mutus lapis, æs, vel inutile lignum.

His fuerunt tenebris per secula multa sepulti,
Donec pòst Carolus, Germanus Origine, Magnus
Nomine Rèq; simul, Romani Sceptra recepit
Imperii Fides Christianæ Religionis

Ille propagator, (q) valido qui Marte rebelles
Saxonæ indigenas post prælia plurima victos
Compulit ad disceda DEI cælestia Veri
Dogmata. Successitq; DEO Res sancta juvante,

Ut

Ut Dux Saxoniae, Magnus (r) Witekindus ab illo
Tandem convictus, conversus & inde Lavacro
Baptismi sacro, Carolo Propatre, renatus
Doctrinae Christi constanter adhaerit ipse.

Tunc quoq; per nostram coepit splendescere terram
Lux Evangelii, tenebris gentilibus atram.

Tempore namq; illo regimen per utramq; tenebat

Svvatana Lusatiam, (s) Lechonis Gnata superstes,

Qui Dux Vandalicæ Gentis fuit ultimus olim,

Quam sibi (t) conjugii Witekindus fœdere junxit;

Hinc is Lusatia primùm pro dote potitus.

Post Ejus mortem Witekindus Filius Hæres

Succesit, verâ pro Relligione tuenda.

Arma gerens contra Gentes idola colentes;

In qua postgeniti Patres sunt usq; secuti,

Fridricus, dein Ditgremus, & Ditmarus Alacris,

(u) Hic ex parte fuit sinceræ strenuus omni

Seçtator Fidei, ac Heinrici tempore vixit

Aucupis. Hi reliquos Christjani Nominis hostes

Imprimis Sorabos, (nisi qui pia Dogmata Christi

Sunt amplexi, & adhuc his diversantur in oris,

Aquibus Urbs vicina suum (x) *SORAVIA* Nomen.

Traxit,) conjunctis delerunt viribus, atq;

(y) Destruçtis prorsus Fanis ubicunq; profanis,

Sacra DEO VERO struxerunt undiq; templa,

Salvificumq; Ejus plantarunt. Flamme, Verbum

Aspirante Sacro. Sic, sic Ecclesia Christi

Quondam plantata & progressu temporis aucta.

Est in Lusatia, in cujus, *MOSKOVIA*, Tractu

Jam posita es, gaudesq; simul Salvantis eadem

Cognitione DEI, quâ nunc Vitamq; Salutemq;

Accipis æternam, si non modò spontè recusas.

Hem.

(r) Albin.
Sächs.
Stambuch
pag. 105.
V Wolfgang
Krauß/vom
Ursprung
des Ehre
und Fürstl.
Hauses
Sachsen.

pag. 4.
(s) Qui &
Zecho à
nonnullis

vocatur. Is
fuit ultimus
Jchitzesco-
rum & Lu-
satoru Dux.

(t) V Volfg.
Krauß. p 8.

(u) Albin.
Sächs.
Stambuch
pag. 404.

(x) Rein.
Reinec. lib.
cit. pag. 86.
Albin.
Chron.

Misn p. 156.
(y) idem Al-
bin ibid.
pag. 192.

Hem reputa, si mentis adhuc caligine merfa
 Esses damnificâ, & divini Numinis expers
 Ludicra fictorum coleres ludibria Divûm,
 Erraresq; viâ cœlestis devia Vitæ,
 Eheu, quàm neglecta fores misera atq; infelix!
 Sed quia cum tota Regione Jehova sacra
 Ad Regnum Verbi te spirituale vocavit,
 Notitiâq; Sui verâ te, MOSKA, beavit,
 Nunc verè felix, nunc terq; quaterq; beata es,
 Ergò Dei donum memori memorabile cordi
 Hoc inscribendum est, referendaq; Gratia Jovæ.

Euge ! recordator, grataq; agnoscito mente,
 Quanta Deus benefacta bonus tibi præbuit olim,
 Olim cum Verbi Lumen cœleste Sacra,
 Romanis tectum nebulis, ubicunq; retexit,
 Cœlitus emissâ Divi Virtute Lutheri.

Nam dum lethifera teterrimus hæresis autor
 Obscuravit eâ Mahumes Orientem totum,
 Innumerasq; animas nigrum seduxit ad orcum,
 Hisce quidem Verbi sacra Lux illuxit in oris,

(z) Tempo-
 re Phocz
 Imp Chron.
 Alsted. p.
 181. 389. 392.
 Besold.
 Synopf. p.
 286.
 (aa) Alsted.
 pag. 348.

Sed mox opposuit sua tegmina Papa, (z) potenti
 Sede sedens Romæ, & summo paulò antè potitus
 Imperio, toto cujusq; Ecclesiæ in orbe.

Tunc etenim ritus (vel inania dogmata) multi
 Sunt introducti enormes, sub (aa) schemate tali,
 Ac si Gentiles facilè (dolus impius!) illis
 Sint convertendi; Quos dein Ecclesia Papæ
 Servavit, membrisq; suis obtrusit ubique.

Quid factum, cum post Romani tempore paulo
 Induperatores se subjecere Latinis
 Papis, primatum cedentes scilicet ipsis?

Proh!

Proh ! quàm multa, Dei Verbo contraria Vero,
 Papæ finxerunt quondam, pariterq; verenda,
 Quin magis ac Domini cœlestia Dogmata Jesu.
 Denatos alius Sanctos, (ô cultus inanis!)
 Jusfit adorari, neglecto Numine Vero.
 Presbyteris alius, quod nec DĒus ipse negavit,
 Conjugium vetuit; Claves cœlestis & alter
 Aulai, raptosq; DEI sibi sumsit honores.
 Hic Sacramentum Cœnæ mutilavit, & ille
 Baptismi vanis fœdavit ritibus Actum.
 Is lustralis aquæ, confictæ callidus iste
 Crimina purgantis flammæ fuit autor & auctor.
 Vendidit hic vitiis indulta piâcla patrat, Annus ex-
hibet con-
fessionis
August.
 Et quoq; patrandis: (nam sunt venalia Romæ
 Tempa, Sacerdotes, Sacra, Crux, Altaria, Christus.)
 Unusquisq; suo divini oracula Verbi
 Torquens arbitrio, sua nugamenta probavit.
 Contradicentes illis fundamine Sacræ
 Nixi Scripturæ, misere (quis crederet illud!)
 Letho deleti sunt, in cineresq; redacti.
 His aliisq; hominum commentis Lux ubicunq;
 Omnis Apostolicæ doctrinæ obscura latebat,
 His deceptus erat Christjanus turpiter orbis.
 Donec divinâ Divus Virtute Lutherus
 Cælitus instructus tandem prodivit, & ista
 Fortiter oppugnans obnoxia Dogmata Papæ,
 (Noxia dicendum potius) reparavit opertum
 Ante diu Verbi cœlestis ritè nitorem.
 Nam cum Pontifices auderent, nescio quanta,
 Cumq; suas mendax exponeret undiq; merces
 Tezelius, dicens, auro peccata remitti,
 Argentiq; animas multo clangore reduci

Joh. Hubs.
 Hieron Pra-
 gens. & alii.

Annus, quo
 Lutherus
 primas con-
 tra indul-
 gentias Pa-
 pæ theses
 VVitebergæ
 edidit.

B

E Pur-



E purgatorii claustris ad limina cœli,
 Ecce Lutheriades, dejecto spontè cucullo,
 Urgens Scripturam sacram, Duce & Auspice Christo,
 Omnia Papicolùm impavidus disjecit in auras
 Hæc figmenta leves, contra cœleste Salutis
 Restituit Verbum. Mens ô animosa Lutheri!
 Qui nec promissis, nec diris flectier unquam
 Fulminibus potuit, sed iis tutamine spretis
 Divino fretus, divini fortiter usq;
 Et lingua & calamo Verbi defendit honorem,
 Et cum Principibus Germanis, tum peregrinis
 Dicere non timuit VERUM CœLESTE; proinde
 Hoc MVLtis CVrls VULgavit In Orbe Capaci.
 Nec frustra: Nam Jova suo dans pondera Verbo,
 Annuit his cœptis. Quot, quæso, Regna, quot Urbes,
 Et quot Magnates, missis erroribus atq;
 Commentis Papæ, gaudentes Dogma Lutheri,
 (Dogma DEI fuit, est & erit) sunt ritè profesfi.
 Elector Saxo primus, (bb) Witebergaq; primùm
 Istud suscepit, quos multi deinde secuti.
 Sic quoq; Lusatia Proceres ac oppida nostræ
 Paulo pòst vanos Romanæ Ecclesiæ abusus
 Rejiciendo, dehinc amplexi Relligionem
 Sunt Evangelicam. Budissa exordia duxit
 Metropolis, quam Gorlicium reliquaq; secuta.
 Saxonis imprimis postultima fata (cc) Georgi,
 Papatûs simul ex his nox evanuit oris,
 Pontificiæ Religioniæ
 Contra Evangelii Lux clara refulsit ubiq;
 Et tunc, Moska, bonus quoq; te clementer Jova,
 Respexit, dum participem te Luminis hujus
 Reddidit, & vano pietatis honore remoto
 Misit Apostolici verum tibi Dogmatis usum,
 Since-

Annus ex-
 hibitz con-
 fessionis
 August.

(bb) Meissn.
 Medit. sacr.
 Dom. 19.
 Trinit. pag.
 786.

(cc) Anno
 1539. d. 24.
 April. Di-
 ctus fuit,
 Pontificiæ
 Religionis
 vnter
 omnes
 acerrimus
 Schuch
 Schafferey
 pag 350.

Sincerumq; Sui cultum, quo nostra perinde
Cum reliquis tenus hac & adhuc Ecclesia gaudet.

O Animæ sanctus, multo pretiosior auro,
Thesaurus, Verbum sancti cœleste Jehovæ!
Reficiens mentes vero solamine mœstas,
Illustrans cæcas, informans Numinis almi
Ignaras, reddens vitam, præbensq; salutem,
Quod nostrum est Scutum, gladius, medicina, cibusq; Bernhard.
Et requies, animæ spes, optima portio Cordis.
O quàm felicis nunc es, Moscovia, sortis!
Isthoc thesauro quòd te dignatur Jöva,
Huncq; tibi largè tribui concedit adusq;
Non tam felices nostræ sunt Relligionis
Consortes, qui compedibus dirisq; catenis
Turcarum vincti retinentur carcere duro.
Eheu, quam foret his pergrata vel unica Verbi
Concio! at hanc illis Gens hæc blasphema recusat.
Nec tam felices vicinos nuncupo nostros,
Qui lychno Verbi everso, Verbiq; Ministris
Sinceri pulsis, hominum coguntur inani
Traditione frui, & documenta capeffere vana,
Aut migrare domo, (nec & hoc licet usq; & ubiq;,)
Aut, quod mitius est, alibi sacra visere templa,
In quibus antiquâ celebrant Pietate Jehovam.
O miseros homines! sua nunc bona, perdita postquam,
Seriùs agnôscunt. Tu, Moska, beatior illis
Nunc es adhuc, puro quum Dogmate ritè fruaris;
Diceris hinc meritò Domus ac habitaculum Jësu.
Hoc inscribendum memori memorabile cordi,
Et referenda DEO reverendo est Gratia in ævum;
Inprimis quoniam tibi publica Templa benigno
Concedit nutu, in quibus est venerandus apertè,

(dd) D. Joh. Meisa. in Disput. de Persecut. & Martyriis Christianorum veterū. p. 8. seqq. Non furtim, sicut (dd) Christiani tempore prisco, Ante ortum Solis, vel in antris Sacra remotis Fecerunt, aut ad Sanctorum vasta sepulcra, Sæva tyrannorum tormenta & flagra timentes.

Talia Moskovix quatuor sunt templa, supremi In quibus ista DEI Magnalia ritè docentur.

D Schupp. Salomon in I. Reg. 8 Polyd. Vergil. de Rer Invent. lib. 5. c. 6. p. 413. Præcipuum est, in quo fiunt idioma Sacra Germano, solitoq; Novum cognomine dictum.

Sacri hujus Templi primus Fundator & Autor Illustris fuit & Generoso Stemmate natus

Heros WILLHELMUS BURGGRAVIUS ille DOHNÆUS, Atq; paternus AVUS GENEROSÆ HEROÏDIS, & jam

CLEMENTIS nostræ DOMINÆ, Ditionis avitæ Hæredis, QUÆ cum GENEROSO CONJUGE vivat!

MVskovIa eXpensis haVD LeVibVs Iste potltVs, Permotus Pietate DEO decreverat antè

Ædificare novam, quam morti occumberet Ædem, Incepitq; illam sumptu feliciter amplo.

(ee) M. Mich. Zeidler. Einweihungs-Pre. digt. (ee) ÆDIS prima basis sacrae posita ^{est} præsentis, In qua debebant tradi DOCUMENTA Supremi.

Lux, quâ cœpta basis, vigesima septima Aprilis Tunc fuit, & binis perfecta æstatibus isthæc

Est circumcirca, murusq; ex parte locatus; Sed præmaturâ correptus morte nequivit

Hoc opus exequier cœptum Dynasta Beatus: Attamen, ut (ff) David, Templum structurus Jovæ,

(ff) Idem Zeidler. in Conc. Funer. Dn. Dn. W. Wilhelmi. Omnem magnifico congesserat undiq; sumptu (drosq;), Materiam: Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, & Saxa, Ce-

Et fabricatores conduxerat arte peritos; Sed quia non erat hoc, Jovâ mandante, struendum,

Tempore Davidis, morti Rex proximus omnem Commisit curam Salomoni perficiendæ

Gnato

Gnato structuræ, mandans Primatibus Aulæ,
Regem ut in hoc juvenem re consilioq; juvarent:
Sic *Burggravius Illustris* collegerat antè
Materiæ multum, & structuram inceperat, at nunc
Morti vicinus rem commendavit agendam,
Illustri Gnato, (qui tunc compleverat annos
Bis modò septenos) & Curatoribus Ejus.
CVrantes post, & Mandata Parentis agentes
Isti denati, structuram gnaviter Ædis
Promovère sacræ sumptu, multoq; labore.

Intereà *Illustris, Generosus & unicus Heres,*
CAROL-CHRISTOPHORUS *Burggravius ille Dohnaus*
Italiam atq; alias spectatum exiverat oras.
Anno post reDITVM Fasces sVblt ipse paternos,
Ac in MOSKOVIA regimen Ditione capessit.
Succeslore novo gaudet Grex subditus isto,
MOSKA reviviscit, pia Relligio viget, atq;
JOVæ ÆDES Malorl operâ perfeCta ea sVrglt,
Nempe quoad muros, contextumq; imbrice tectum,
Turrim, fulturas, & quæ Murarius extra
Ac intra fecit (nam cætera postmodò facta.)
Italus is fuit, & *Johannes* nomine dictus,
Ædem qui toram concinnè struxit & aptè,
Utpotè quæ nullis intus suffulta columnis
Est, ideò Suggestus & Ara ubicunq; videri,
Et Vox audiri Dicentis Sacra potestur;
Nullo obscura loco est, sed multis clara fenestris,
E regione sibi respondent ostia, eaq;
Ambones ambo, nixi fulcimine nullo,
Ad latus affixi pendent firmissimè utrumq;
Hos confine adytum tangit, quod fornice fultum;
In quo cum Pueris Psalmos cantare solemus,
Structa ubi præterito nova sunt subsellia in anno. Por-

Annus
mortis Ge-
neros. Dn.
Dn. VVil-
helmo.

Porrò conclave est ad dextram Altaris in alto,
Contrà hyemis frigus foribus, fornace, fenestris,
Pulchrè munitum, in quo clementissimus hac in
Urbe Magistratus cœlestia percipit aure
Verba DEI, obstantis directè ex ore Ministri.
Huic conclave aliud tale è regione locatum,
In quo sacra potest audiri concio Verbi.
Sacrarum sub eo cernis penetrabile decorum,
E quo dextrorsum conscendit Mysta cathedram,
Ad quam se sistunt, quos vitæ panitet actæ,
Quiq; ibi peccatis jussu absolvuntur Jësu.

Inde sinistrorsum Suggestus ligneus extat,
Ligneus ille quidem, sed multo emblemate pulcher,
Scilicet historiis sacris, mirâ arte Toreutæ
Sculptis; *Johannes Stilling* cui nomen utrumq;
Patria Dresda fuit, qui sacra quælibet Ædis
Sculpsit mirificis emblemata biblica formis.
Janua Suggesti geminos in fronte pueros
Exhibet alatos, Insignia *Burggraviorum*
De Dohnau, Templum qui fundavere, tenentes.
Hinc scalæ surgunt, per quas ascenditur, atq;
A dextris paries humilis confurgit ibidem,
Qui quadripartitus Veteris Sacra Testamenti
Ostendit quatuor condigna Emblemata visu:
In primo Omnipotens immensi Conditor Orbis
Sub firmamento magnum per inane agitatur
In terra, quæ jam plantis decorata creatis.

Gen. 1.
Gen. 2. Quadrupedes monstrat volucresq; emblemata secundum,
Ex nihilo à Jova factas, somnoq; sepultum
Adamum, è cujus costa Dominus creat Evam.

Gen. 3. Schema sequens illos viridante sub arbore stantes
Exhibet, ut capti mendacis fraude colubri,

De

De vetito ederunt malo, mala sicq; malorum
 Ad se traxerunt, hominum & genus omne futurum,
 Cernitur in quarto miseranda expulsio eorum Gen. 3.
 Ex horto Paradisiaco, quos inde repellit
 Angelus Excubitor, gladio succinctus acuto.
 Hinc & Suggestus speculam spectabimus ipsam:
 Hujus sculptilibus facies externa decoris
 Est iterum in tabulas quatuor distincta quadratas,
 Quæ Testamenti referunt memoranda politè
 Acta Novi. Primam si spectas, cernis Jësum
 Bis sex annorum Puerum, Patre Matre relictis, Luc. 2.
 Inter Doctores in Templo spontè sedentem.
 Altera Apostolicum cærum tibi monstrat, ut illis
 Spiritus ille Sacer cœlo demissus ab alto Act. 2.
 Ignitis visu lingvis apparuit olim.
 Tertia habet Christum turbas è nave docentem. Luc. 5.
 Sanctum Præconem hunc ostendit quarta, loquentem Joh. 4.
 Cum Samaritana ad fontem muliere Jacobi.
 Hæc sunt Suggestus emblemata splendida nostri,
 Quem Moses capiti impositum quasi sustinet unus.

Nunc opus, impendens capiti, perpende, quod omni
 Inferiori æquè respondet, & ordine & arte,
 Ornatus hujus referam: Sexangulum id esse
 Cernimus; anterior, seu qui prospectat ad Aram
 Angulus est, in quo *Mattheus* Apostolus, atq;
 Scriba Evangelii residet, *Puer Angelus* adstat.
 Insidet at *Marcus* vicino, & imago *Leonis*.
 Tertius hinc *Lucas* sedet, & *Bos* proprius ipsi.
 Insistit quarto *Johannes* angulo, ubiq;
 Est *Aquila* altrivolans, ales signumq; *Johannis*.
 Pone hos in quovis angulo columella statuta est,
 In quarum medio situs est mons iste sacratus,

Trans-

Matth. 17. Transformatur ubi *Christus*, splendore coruscans,
Petro & Jacobo præsentibus, atq; *Johanne*,
Adfunt *Elias Mosesq;* in vertice montis,
Fulgore induti, cum Salvatore loquentes;
Inter sex istas sunt ista locata columnas.
His at Epistylum prostrans incumbit, in illo
Alati circumcircâ stant quinq; Puelli,
Suggestum quasi, vel Præconem ritè tuentes,
Inter quos itidem curvata torcumata, junctim
Fixa, cacumen agunt, in quo *Baptista Johannes*
Extat, habens agnum, librumq; crucisq; bacillum.
Certè demonstrant hæc omnia, qualis eadem
Doctrina in Cathedra proponi debeat usq;
Christigenûm turbæ, quam scilicet ipse *Jesus*,
Discipuliq; ejus sacro spiramine ducti
Innumeras latum Gentes docuere per orbem.
Hæc (Laus summa DEO sit) adhuc ab origine Templi
Proposita à puris nobis est pura Ministris.

Altare qua-
si alta res.

Hinc Altare sacrum libeat spectare; quòd alta
Res certè est, cum Mysteri, Mystes quod ad illud
Tractat, tum fabricæ, quàm dixerò, nobilis ergò.
Itur ad hocce gradu quadratis duplice saxis
Structo, saxeus est focus ipse, quadratus & ingens,
Qui, ceu Suggestus, preciosis atq; decoris
Ornatur Festo tegumentis quoq; sacrato,
Serica sunt, holoserica sunt, auroq; subactò
Splendida sunt quædam, vario distincta colore.
Plurima largita est hæc ornamenta benignè
Clementis Domina pia Munificentia nostra.
Ornatus taceo reliquos venerabilis Aræ,
Historicas modò jam mens est memorare tabellas
Illius, egregiè philyrea ex arbore sculptas,

Artifici



Artifici cœlo Sculptoris, & ordine pulchro
Ter super impositas. Series tres infima sacras
Exhibet historias : Media est, ubi Pascha celebrat
Christus cum Sociis, Agnum comedendo, suæq;
Instituendo Sacræ convivia mystica Cœnæ.

Matth. 26.

Ad dextram Gabriel annunciat Angelus, alto
E cœlo missus, Mariæ, quod Filium Jovæ
Numinis afflatu Sacri paritura sit almu.

Luc. 1.

Hunc Ejus partum monstrat sculptura sinistram,
Versus, ubi jacet in præsepi Jesulus infans,

Luc. 2.

Ad bovis ac asini præsepia, cumq; relictis
Pastores gregibus visunt, celebrant, & adorant.

Hinc media & major tabulatio cernitur Aræ,
Quattuor egregiis distinctè ornata columnis,
Historias itidem ostendens tres ordine sacras :

Primum pro nostro IN RIGIDO fert crimine ligno
Vulnera Salvator pendens, cinctumq; cruentis
Sentibus inclinans Caput, ut ferat oscula nobis.

Joh. 19.

Sub cruce stat Genitrix gemebunda *Maria*, piusq;
Johannes, mortem Gnati Dominiq; dolentes.

In medio sunt hæc, inter-q;-columnia priscos
Ostendunt utrinq; typos, mortemq; notantes

Christi ; dextrorsum, Jovâ mandante, *Abrahamus*
Impositum *Patriarcha* rogo vult cædere ferro

Gen. 22.

Isaacum stricto, qui spes erat una parentum ;
Cui verò parcat, diro revocatus ab actu,

Angelico monitu, à tergo stante ariete cæso.

Tale sinistrorsum typicum est emblemata locatum,
Nimirum *Mosis* suspensus *abeneus anguis*,

Num. 21.

Quem læsi aspiciunt lethali vulnere Hebræi.

Præcipuas quatuor Virtutes esse columnis
Impositas dictis, muliebri cerne figurâ :

C

Prima

bibliothek



Prima, tenens dextraq; crucem, cyathumq; sinistra,
 Alma *Fides*, sine qua nulli licet astra subire.
 Altera, *Spes*, oculos devotè ad sidera tollit,
 Ancora, quam dextrâ prendit, designat, eidem
 Quàm constans sit sperandi meliora cupido.
 Tertia, quæ sequitur, *Charitas* est, ista, tenellum
 Juxta se ducens infantem, denotat, æquè
 Quod Jovam ac homines verò veneretur amore,
 Quo propriam mater prolem pià curet ametq;.
 Quarta, tenens agnum, *Patientia* dicta, silente
 Docta animo perferre graves immota procellas.

Nunc decet Altaris seriem spectare supremam :
 Arctior illa quidem, ast iterum decorata columnis
 Matth. 28. Quattuor, ostendens tumulum Victoris apertum,
 Christi surgentis, sacer Angelus insidet illi,
 Et vigiles fugiunt terrore metuq; trementes.
 In media tabula sunt hæc, interq; columnas
 Claviger à dextris Petrus, Paulusq; sinistris
 Ensiser apparent. Sub utroq; in fine sedentem,
 Aligerum puerum spectamus, corpore nudum,
 Atq; manu frondem palmarum quemq; ferentem.
 Summa coronis in his Globus est ornatibus Aræ,
 Cui nosler Jesus insistit, Victor averni,
 Peccati, Satanæ, mortis, mundiq; maligni,
 Cujus sub pedibus totus nunc subjacet orbis.
 En dextræ digitos attollit ad æthera binos,
 Ad se tracturum, quasi jurans, se esse Fideles.
 Joh 12.v.32. Angelici duo stant penes illum utrinq; Ministri,
 Ore tubas lato inflantes, manibusq; ferentes
 Palmarum frondes, insignia signa Triumphi.
 Hæc sunt Altaris memoranda toreumata nostri.
 Spectanda.

Spectanda occurrunt nunc Baptistarii eadem
 Ornamenta manu artificis fabrefacta Torontæ.
 Sculptilis & solidus lapis est, Sexangulus, intus
 Concavus, & capiens pelvim; quâ lympa tenetur,
 Quâ Christi ad jussum purgandus mergitur infans,
 Angelicis circum decoratus vultibus extra,
 Sculptilibusq; aliis, distinctus itemq; tabellas
 In sex quadratas, queis sunt incisa venustè
 (gg) Biblica dicta, sacri sacros dictantia fructus
 Baptismi. Duplex gradus est, & saxeus infra,
 Quo circumcirca passu conscenditur æquo.
 In fune egregium de fornice pendet operclum,
 Quod solet, uncinulis, queis figitur, inde solutis,
 Occultâ Templi sub tecto mole levare,
 Cum quidam tingendus aqua est Baptistatis infans.
 E ligno pulchrè factum, Sexangulum, & artem
 Vilius haud reliquo Suggesti Aræq; decore est.
 En Puer aliger & nudus sedet angulo in omni,
 Quisq; tenens librum, quasi carmina voce sonaret,
 Unus item baculum fert, ut director eorum.
 Inde columnellæ pone illos ordine circum-
 Sunt-positæ pulchro, quas inter Christus Jësus
 Stans in aquâ, Johanne ab amictu veste cameli
 Baptizatur, & id testatur ab æthere missus
 Spiritus, in placidæ forma radiante columbæ.
 His super imposta est columellis alta coronis,
 In qua circumstant pueri sex corpora nudi,
 Inter phidiaco formata toreumata cœlo,
 Et paulò suprâ Christus Salvator eorum
 In medio, infantem lævâ qui gestat in ulna,
 Hæc quasi verba loquens: *Sinite hosce venire puellos*
Ad me; nam tales Cœlorum Regna manebunt.

(gg) Quæ
 sunt
 Marc. 16.
 v. 16.
 Matth. 28.
 v. 19.
 Rom. 6. v. 30
 Gal. 3. v. 27.
 Tit. 3. v. 50
 Joh. 3. v. 50

Matth. 19.
 v. 14.

Porticus haud procul hinc lateri, quod prospicit Arcem,
Inferra est, capiens sedes; Subsellia subtus,
Obsita cancellis, sunt ordine ritè locata,
In quibus *Aulæ Proceres*, aliiq; *Ministri*,
Auditum resident divini dogmata Verbi.

His confine sedile, in quo *Collega Verendi*
Pastoris scelerum gratamq; ratamq; priorum
Dat veniam, peccasse pio quos pænitet ausu.
E regione sitæ sunt, quas subit *ordo Senatus*,
Sedes Suggestûi numero ter quinq; propinquæ.
Hinc porrò totam subsellia fixa per *Ædem*
Ordine (sunt quædam clathris decorata) videmus,
Quæ Michael Tzschochus fecit solertè dolabrâ.

Organon in laudes Supremi prostat in isto
Dulcisonans Templo, immisso quod flamine gratos
Multifidò cantûs resonatq; tonatq; susurro,
Organici manibus tactum pedibusq; citatis.
Ter septem ac una variatur vocibus isthoc,
Ordinibus quæ sunt distinctæ intrinsecus aptis.
Organon anterius confectum novimus esse
Anno, qVo VI sVs raDians est Iste CoMeta,
Iste Cometa tuæ, Germania clara, ruinæ
Terrificus Vates. Opifex fuit istius olim
Martinus Wannig. Camentius, arte peritus,
Heinricus Zeidler, facili hoc qui pollice movit,
Moskoviensis, erat primus; Cuj, Jane Georgi
Meldi, denato successisti, atq; per annos
Triginta ac octo digitis nunc organa doctis
Tractasti; tracta, Dilectè, diutius ista
Pars hVIVs postICA operIs, CVrante Dynasta
ILLVstrI à CaLLnberg, expenso DIVItè strVcta est.

Adamus Caspar, gnatusq; *Georgius* ejus

Sorani,

Sorani, socio struxerunt hancce labore.
Est opus egregium, pulchris utrinq; decorum
Sculptibus, fixum sub fornice firmiter alto,
Namq; gradus cochleæ gyratæ limine ab imo
Per sexaginta datur huc ascensus & octo. (chra,

Sunt & in hoc Templo monumenta & pulchra sepul-
In quibus ossa beata jacent, pulchrèq; quiescunt.

Est etenim gelidum ac amplum penetrale sub Ara.

Quo *Generosum* sacra Funera *Burggraviorum*,

Es Fundatorum dicti sunt condita Templi,

Quæ prius in Veteri compôsta fuere, sed inde

Pòst translata Novam sunt hanc reverenter in *Ædem*,

Et simul Ipsorum veneranda Anathemata: *Cestæ*

Auro fulgentes, vexilla, Insignia, & Enses,

Quæ quondam meruit Virtus heroica eorum,

Cujus ad exemplar memori sunt Posteritati

In Templo suspensa, sacram sub fornice ad Aram;

SVSTVLIT HEV EX PARTE RAPAX EA MILES AB *ÆDE*!

Ternæ dein Cineri sacro accessit Avorum

De *Callnbergiaco-Dohnæo* Sanguine Proles,

HERMANNUS, CAROLUS CHRISTOPHORUS & CATHARINA

ELEONORA, tuo, mors atrox, jure peremti,

At nunc in cœlis vitâ meliore fruente,

In cœlis animæ, sed in hac Scrobe Membra quiescunt.

Cætera, in hoc recubant, taceo, quæ funera Templo:

Cujus ubiq; solum lateres decorant & adæquant,

Occasum versûs Turris quadrangula surgit,

Altaq; perspiciuis hinc inde ornata fenestris.

Pergula circumdat celso sub vertice turrim,

E qua prospectus pulcherrimus; inde cacumen

Obductum cupro, distinctum itidemq; columnis

Bis super impositis firmè, tandemq; coronis

Est Globus auratus, summoq; in acumine Triton,
Seu, quod ventorum designat flamina, Signum.

Intus campanæ pendent ex ære sonoro

Quattuor, ad Templi queis publica sacra vocantur

Christjani. Simul est ingens Horarium ibidem,

Quod certis numeris & pulsibus indicat horas.

Et sic tota tibi, Lector, structura sacrati

Exhibita est Templi, quod Plebs germana subintrat,

Terra, ubi fundatum est, ut & area, quæ sita circum,

Cuj defunctorum mandantur corpora, pulvis

Est flavus gelidusq;, & sicca & mollis arena.

Area quadrata est, circum-munimine cincta.

Murus ad occasum jam dudum est structus, & ejus

Portæ, *Martinus Hünchen* Murarius olim,

Struxit eum; latus at, nitidam quod spectat ad Arcem,

Tobiæ Gruneri operâ est æstate recenti

Præteriti muro vestitum insigniter anni,

Sumptibus *Illustris Domine* jussuq; benigno.

Sed duo, quæ tenuis hac lignis modo septa fuerunt,

Posthac sunt etiam muris vallanda decoris.

Olim, ubi nunc extat Templum, tota area parvis

Culta fuit domibus, Vendisq; habitata colonis,

Dictaq; Neustadium, quia pars erat urbe remota;

Ast Igne offenso est ea tempore perditâ prisco,

Propterea *Illustris Burggravius ille Dohnæus*

WILHELMUS veteres jussit migrare colonos

Hocce loco; nec at invitos: nam figere nidos

Non procul hinc alios illis concessit, & hortos,

Quos huc usq; colunt. Hunc iste piissimus Heros

Deinde locum, tristi nigrum igne, dicavit Jovæ,

Atq; ibi sacrificum posuit ignemq; focumq;,

Qui nunc Thure sacro fumat qui splendet honore,

Usq; DEI merito, gratosq; exhalat odores.

Hoc

Hoc Templum DEUS altipotens ob origine prima
Casibus in variis protexit praeside Dextra.
Quanta minabatur crudele pericula bellum!
Hem! quoties Cives fugientes, urbe relicta,
Militibus pulsi in latebris Sylvisque latebant;
Ecquis tunc Templi custos fuit? ipse Johova.
Igne haud exigua via tota peribat,
Sed cum confines Templo vaga tangeret aedes
Flamma, gradum sistebat ibi.
Proxima post igni Arx vexata furente caedebat,
Disjiciente luas hinc inde per aëra flammam,
Et tamen his binis incendier ignibus Aedem
Sacratam vetuit DEUS. O DEUS amplius illam
Protege praesidio alarum praesente tuarum,
Te queat ut pia plebs laudare diutius illic.

d. 24. Septembris.

d. 7. Aprilis.
Fer. III. Paschae.

Hoc praeter tria sunt hic Tempula vetusta, colendo
Aedificata DEO, quorum quoque mentio fiet.
Illorum Primum, scholico confine Lycæo,
Vicinumque Foro, veteri pro more dicarum
Andree Divo fuit. Hujus origo vel ætas
Me later, at certe prisca est conditum ab annis,
Olim Mater erat, Germanis ergo patebat
Civibus, ipse Magistratus penetrare subibat
Ejus; nunc vero Vendis conceditur illud;
Nam Templi Symmysta Novi proponit in isto
Vandalico sermone DEI sacra Dogmata, quovis
Tempore solenni, quapropter & accolit illi;
Unius atque decem pagorum quippe coloni
Hanc Aedem, auditum Verbum coeleste frequentant.
Illa graves etiam passa est quondam igne ruinas,
Nunc vero reparata, novoque ornata decore.

Hinc



Hinc extra portam, quâ Forstam tendimus, urbem
Vicinam, Templum est aliud sacrum atq; vetustum,
In quo solamen lugentibus ultima fertur
Fata maritorum, uxorum, mortemvè parentum,
Aut sobolis, gratâ Verbi dulcedine sancti,
Quod promittit ibi, pia corpora defunctorum,
Surrectura fore, & vitâ fruitura perenni.

Hoc circum-Templum-dat cæmeterion amplum,

In quo, mutavit quos mors in funera tristes,

Componuntur, & hic compôsti pace quiescunt.

Johann.
Casparum.

Ipse ego filiolum lugens componier illis

Hoc anno vidi, quem post hæc fata revisam.

Templum illud quondam, Papâ hic regnante, sacellum

Ligneum erat, gelidi propè Nisii flumen amœnum

Ad pontem perstans, ætate, & origine ab ortâ,

Ast id transtulerant Tharini postea in agrum,

Ad jussum Domini Fabiani, cui Genus atq;

Dn. Fabian.
à Schön-
etzh.

Nomen ab Egregia fuit (haud absq; omine) Quercu,

Qui Ditionis erat Dominus tum temporis hujus.

Cum verò illustris Burggravius hæc potiretur,

Saxo sVffVLtVM flixo est insigniter istud,

Seu muro solido, tecto remanente vetusto.

At sVblitò nostrâ est, DelectVM ætate labore

Omne senectute exesum carieq; tigillum;

Namq; aderant præstò nova tigna & ligna, trabesq;

Queis reparabatur paulò post tempore Templum,

Sedibus exstructis, podiisq; recentibus intus.

Sed Subsella, quæ muliebris possidet ordo,

Æstate hæc, priscis, pulchrè sunt structa, remotis.

Nunc Montem ascendo, Templum visurus ibidem.

In monte hoc situs est pagus, Mons inde vocatus,

Qui prior Urbe fuit, quapropter & illius Ædes

Sacra

Sacra, prout perhibent, est antiquissima earum,
 Quas dixi, velut & monumenta vetusta probarunt.
 Tr V X q Vè fero X q Vè h V I V s te C t V M VI Dir I plebat
 Turbo repentinâ, evertens quercusq; domosq;
 Ut passim sylvæ & pagi testantur & urbes.
 Ista ruina novis anno est reparata sequenti
 Tignis & tecto ac intus cathedra podiisq;
 Estq; sepulchretum muro circumdatum ibidem.
 Cui tribus è pagis demortua corpora dantur,
 Hinc in eo Templo interdum funebris habetur
 Concio, præterea sacra non celebrantur in illo.
 More quidem veteri sub Festum Paschatos anno
 Quolibet hâc Vulgus quondam convenit in Æde,
 Exercens, at nescio quâ Pietate, ibi cantus,
 Sed quia Papatum mos hic redolevit vanus,
 Atq; superstitio cultus accessit inanis,
 Extinctus meritò & sublatus lege salubri est.

Ergò recensitis referam nunc deniq; Templis
 Illos Pastores, in eis qui Dogma Jehovæ
 Purgatum Zelo Divi docuere Lutheri;
 Post obitum (tunc hic orta est Lux vera) Georgi
 Richteri, qui tùm fuit ultimus assecla Papæ,
 Cum quo Relligio prorsus Romana recessit,
Lazarus hinc *Welckus* primùm professus Jovæ
 Dogma repurgatum, qui Montis in Æde sepultus,
 Istum *Basilius*, doctusq; *Georgius* illum
 (cognomen desit genitivum utriusq;) secutus.
 Hos *Lucas Michael*, qui morte extinctus, in Æde
 Andreæ juxta Suggestum in pace quiescit.
 Illius hinc *Michael* subiit sacra Munia *Zeidler*,
 Qui quoq; , eis sex atq; decem jam functus in annos,
 Defunctus subiit confinia tuta sepulchri,

D

Nam

Nam coram Altari modò dictæ est conditus Ædis.
Zeidlero Michael successit Filius inde,
Ornatus Sophies palmâ, tituloq; *Magistri*.
Hoc Pastore *Novum*, quod dixi hoc carmine, Templum
Cœptum, perfectum prorsus, Jovæq; dicatum est,
Is tandem curis, senio, morbisq; peremptus,
Inq; Novo Templo penes Aram dormit humatus;
Quadraginta annos tulit officii iste laborem,
Clemens Clementis vix tres Pastor fuit annos,
Inde *Borusiacos* peregrè migravit ad agros,
Suscipiens Pastoris ibi venerabile Munus.

Huic succedebas, *Stöckere*, verende Magister,
Saxonis Eniferi duo per septennia postquam
Castra secutus eras, instructus Flamine sacro
Præco, docens Jovæ sacra Dogmata Martis alumnos.
Jusserat hosce graves Te Jova subire labores,
Jusserat ipse Parens, jussis ideòq; paternis
Parebas meritò, & bellum cum pace subibas.
Illinc discedens, retrahentia Fata secutus,
Islebiamq; petens Patriam, patriosq; Penates,
Inde (suos Deus ô quàm mirè ducit agitq;!)
ꝛ Pastor & Inspector, StöCCere, Jvbente JehoVâ,
ꝚOMnlbVs hVC CharVs Venlebas rltè VoCatVs.
Namq; *Per-Illustris Generosi Stemmatis Heros*
BARO DE CALLNBERG, illo Tibi tempore sacrum
Credidit officium, quo nunc benè functus es annos
Viginti atq; duos, divino pectora Verbo
Christicolum commissa Tibi pascendo, docendo.
Auspicio, curâq; tuâ, vento, igne, ruinæ
Templorum factæ, paulò quas ante notavi,
Restaurabantur, posito splendore recenti,
Pashim cernendo. Te Jova diutiùs isto

Firmet

Firmet in officio, vires tribuatq; valentes.

Isti Sacrorum recto sunt ordine Mystæ.

Pergo, recensurus Symmystas Moskovienfes:

Ultimus assertor Romani dogmatis olim

Rafus erat Monachus, *Michael* cognomine *Lutony*.

Melchior Tilenus docuit dein pura salutis

Verba; secutus eum denatum est *Balthasar Ecke*.

Inde *Simon Opitius* hunc, cuj Patria Moska.

Janus Fabricius Peizensis, Numine ductus,

Daubitium venit. *Matthias Blasius* illi

Succesit, sed & ille abiit, *Scleiffamq;* petivit.

Pòst Symmysta fuit *Caspar Tilenus*, eumq;

Deinde sequebatur *Thomas Müllerus*, & isto

Denato, dat Peiza alium tibi, *MOSKA*, *Jacobum*

Fabricium; *Sprembega Petrum* vicina *Braërum*.

Bartholomæus ei, *Diētus* cognomine dictus,

Peizensis succesit, at hinc *Gablenzia* ad arva

Cesit. Eum *Janus Scultetus* Moskovienfis

Primùm *Moskovia*, *Gablenzii* & inde secutus.

Martinum Kahla Müllerum, *Jacobumq;* *Neandrum*

Progenuit *Tribella*, DEI hic sacra Verba docentes.

Sacratâ *Æde Novâ* primus Symmysta *Johannes*

Grunovius fuit, is dein *Schleiffam* Pastor adivit.

Clemens Clementis veniens è *Divite Sylva*

Suscipit hoc priùs officium, tum deniq; partes,

Ut dixi, Pastoris agit. Collega fit illi

Tunc *Michael Hempel* *Bischoffverdensis*, & antè

Jenischvaldensis Pastor, nunc pace quiescens.

Isti sVCCesit *Caspar CrVgerVs*, & hVIVs

¶ SaCræ ÆDIS sVbIit SaCræ, qVæ sVbeVnDa fVere.

Ille Ministerii primos exercuit actus.

Tribellæ, Symmysta etenim fuit antea ibidem.

Antea enim fuerat Pastor in pago Reichwalde.



Inde Dei jussu *Stradam* se contulit, atq;
Pastor ibi populum Verbi dulcedine pavit,
Donec eum, Hempelio denato, ritè vocavit
Illustris Domini Domini Clementia nostri.

Nunc annos unum atq; decem est hoc munere functus,
Et veteri pro more suis idiomate Vendis
Lingvæ consveto cœlestia Verba Salutis
Proposuit; suus inq; *Nova* est labor *Æde Sacrorum*,
Quotidianus ei, quem summus Jöva secundet!
Filiæ eiq; duæ (*Pecheram* sic dico *Spreamq;*)
Sunt demandatæ, quibus ipse diebus, Jövæ
Verba sacrata, statis proponit, & inde quotannis
Fert decimas, prisca quas constituere coloni.
Hi sunt ergò Dei, Lector dilecte, Ministri,
Ejus qui tenus hæc in templis Dogmata nostris
Cœlica sincerè & purè docuere docentq;

Nec tacuisse decet, quanto pietatis amore,
Illustris BARO DE CALLNBERG, antè potitus
Hæc Ditione, bonas, quibus hæc Ecclesia paret,
Constituit Leges, monitis solennibus urgens,
Quæ facienda sient, & quæ fugienda cuiq;
Hinc reverenter eæ recitantur in Æde quotannis.
Inter eas (taceo reliquas) hæc sanctio constat,
Ut Baronatûs vicini quolibet anno
Moskovia in Templo peragant Sacra publica Mystæ,
Tempore, quo tristis reputanda est Passio Christi,
Quisq; die Veneris. Quibus hæctenus annuus iste
Incubuit labor, è reliquis sunt quinq; sequentes:
Christophorus Crüger primus se sistit in Æde
Et sacra de passo proponit Dogmata Jesu.
S AVg Vstl q Varta ClbeLLaM LV Ce Vo Cat Vs
LEX pago KlLlz, nlfalLor, Pastor abibat.

Dehinc

Dehinc Schleiffensis adest, *Johannes Bolzius*, atq;
Publica verba facit de Christi morte cruenta,
Vel quas Thema datum doctrinas suggerit, infert.
Zibellensis erat primùm Symmysta, deinde
§ ZIBELLÀ SCHLEIFFAM Venit Iste VoCantis JöVæ
¶ VELLE seqVens, popVLO Pastor præponit Vr ILLIC
Tertius, in Gablenz Mysta, hic sacra Dogmata spargit
§ Mathtias RICHTERVS Is est, CVI fVnctio, CVraqVè
¶ HæC Pastoris Ibi est obLata, VoLente JehoVâ,
Postquam functus erat Serchenæ hoc Munere sacro.

Hunc quartus sequitur, *Johannes Lipschius*, atq;
Proponit Christum nostro pro crimine casum.
§ ILLE VoCabatVr Pastor (sic JoVa JVbebat)
¶ REICHWALDENSIS, Ibi nVnCrte Laborat In ÆDE.
Hinc Sacra *Matthias Crügerus* ea annua finit;
Est Zibellensis Pastoris Filius ille,
ADIVnctVs Patri ConCORS COLLEGA COLENDO;
Namq; frequens illic Ecclesia pascitur, ergò
Jungitur ex Veterum Mystæ Symmysta statutis,
Ut benè curetur juncto plebs tanta labore.
Antiquâ Virtute Viri, Pietate Fideq;,
Queis labor ille sacer Verbum cœleste docendi
Incumbit, qui Moskovia, qui degitis extrâ,
Vos DEUS incolumes animos & corpora servet,
Cœtibus ut vestris prodesse præ esse queatis
Ulterius, Vos Jova suo Sacro Flamme-sancto
Instruat illius ut largo cum fœnore Verbum
Addoceatis, & ipse suo det pondera Verbo.
Vos tandem post Fata beet, cœloq; reponat,
Ut celebretis Eum, Rutilo splendore nitentes,
Plausibus angelicis illic sine fine.

Et velut in terris divini concio Verbi
 Sacra DEI laudes, ipso mandante, propagat;
 Sic quoq; devotæ sacro modulamine vocis
 Vult DEUS altipotens laudari ubicunq; locorum,
 Præsertim in templis; ideò Rex atq; Propheta
 David Cantores sacris adjunxit hymnos
 Dulcisonos chordis psallant, & voce canorâ.
 Mos Christjanorum in Templis viget omnibus iste;
 Hinc & Moska habuit Cantores semper, in Æde
 Psallentes, puerosq; Scholæ discenda docentes.
 Hos in fine libet subjungere, scilicet illos,
 Qui in Templo cecinere Novo modò: Primus eorum
 Moskovienfis erat, Nomenq; *Georgius* illi
Stärius, antiquo Baransky agnomine dictus.
 Hoc cedente vices *Andreas Schenkius* ejus
 Suscepit, sed ut ille Scholæ Moderamen obivit,
 Cantoris Partes repetivit *Stärius* idem,
 Quem pestis rapuit fera. *David Felsius* isti
 Gorlicienfis; huic verò successit *Jacob*
Angelus, huncq; domum retraxit patria Drebkovv.
 Christjanus Seiler Leoberga Slesius illum
 Inde secutus erat, sed abhinc discescit & iste.
 Post PaVLVs IVDeX LaVbanVs MVnVs agebat
 Hoc scholicum solus, cantando, docendo juventam.
 At ConIVnctVs ei est Cantor tVnC, Fata seCVtVs,
 Caspar TreiberVs, patrâ qVI MoskoVlanVs.
 Clauferat occidua *Judex* sua tempora vitæ,
 Reddideratq; animam citò, qui successerat illi
 Rhötingus, Moderatores, tunc Munere eodem
 Treiberus, (mihi nunc septem collega per annos)
 Præditus est, anno atq; die, quò dante Jehovâ,
 TransLatas ego sVM Partes Cantoris aDeptVs,

Quas

Quas *Præ-Illustris DOMINI mihi GRATIA nostri*
Clementi nutu conferri jussierat antè;
Hinc & Ei grates humili fero corde perennes.
Lauba mihi patria est, ibi natus, ibiq; renatus
Sum, cives ibi erant, qui me genuere, Parentes,
Integri vitæ. Puerum me patria primò
Suscepit Schola, prima mihi dans dogmata, ad annum
Undecimum, dehinc Fata Patrem Matremq; vocarunt
Hirschbergam Slesia; Vir eâ me doctus in urbe
Johannes Haydorn studio nutritivum alumnum.
Alter ab undecimo tum jam me ceperat annus,
Ut Gripheberga suum me suscipiebat amica
In ludum, (proh romano nunc obice clausum!)
Inde Scholam repetens patriam, studio atq; labore
Gerberi, Sani, Schvvarzbachi ritè fruebar.
Hinc ad Lipsenses ibam, Christo Auspice, Musas.
Isthinc in patrios fines mihi deinde reverso,
Nobilium Soboles erat erudienda Parentum,
Laubanum intereâ vertebat flamma nitorem
Proh dolor! in cinerem & libros, me absente, vorabat
Et quæ tradideram Laribus servanda paternis,
Elapsis posthæc annis te, MOSKA, duobus
Primùm visebam, divino Numine ductus,
Et potiebar eo, quo jam nunc Munere fungor.
Desino plura referre, sat est. Sed & ante-papyro-
Quàm calamum retraho, DEUS ad Te paucula fundam:
Conditor alme Poli atq; Soli, Tibi pectore Grates
Promimus æternas grato, quòd Nobile Gentùm
Lumen monstrasti nostris Majoribus olim,
Nempe tuum Christum, Verbumq; Salutiferum Ejus.
Quòd, cùm romanis hoc pòst latitaret in umbris,
Jamq; ferè ignotum mortalibus omnibus esset,

Svave

50 7457 01
Svave revelasti nobis jubar illius, ut jam
Ritè tuus claro Focus undiq; splendeat igne,
Præter adhuc ubi nox errorum obnubilat aras.
Fundimus & grates Tibi, quòd sacra Tempia dedisti,
In quibus exercere licet Sacra publica nobis,
Atq; tuam veræ Doctrinam audire Salutis.
Hanc porrò in nostris sincerè, ô Maxime, Templis
Proponi concede, Deus, prohibe q; profana.
Hinc hominum commenta, potenti protege dextra
Tempia, ut ne flammis pereant, aliisvè periclis.
Protege Saxonicæ Celsissima Germina Rutæ,
Et sub Eis purâ fac Relligione fruamur.
O Callnbergicò-Dohnæam protege Stirpem,
Crescat ut hinc Arbor, surgantq; ex Arbore Rami,
Illius & nobis sit Pax Requiesq; sub umbra
Perpetuò; tandem nos suscipe, Jova benigne,
In Templum cœleste tuum, cum venerit hujus
Exitus aut vitæ, vel mundi deniq; FINIS.



WOT

no

Q. K. 151, 29.

MOSKO
DECUS EX

Quod e

PURA RE

Quam Deus Opt

olim, Sublatis Superstici

PRISCIS LU

benignissimè c

Quamq; aliquot seculis post hujus

Regionum ac Oppidorum incolæ, explor

Traditionibus, Verbo

à Divo Luthero repurgatam

Susceptam Posteris hucusq; fi

Ejusq; Exerc

OFFICINA E

TEMPLUM (ut dic

sub initium hujus XVII. Secu

verè-Divino dicatum, C

exceptum

Factâ insuper mentione reliquorum

Pastorum & Diaconorum, qui Ecclesia

rana Religione præfuerunt,

Pia Posteritati t

JOHANNES CASP

Laubâ-Lusat. Ejusdem Templi, Schol

GUBENÆ, Typis CHRISTO

x 20

54

